



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris  
Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtru[m] hoc liceat clerico? 4

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

Ad tertium dicendum, quod facere aliquid ad utilitatem communem quod nulli nocet, hoc est licetum cuilibet priuata personæ: sed si sit cum nocimento alterius, hoc non debet fieri nisi secundum iudicium eius ad quem pertinet estimare quid sit subtrahendum partibus pro salute totius.

## ARTIC. IV.

359 *Vtrum occidere malefactores liceat clericis?*  
inf. q. 20. a. 1. ad 1 Eta. d. 25 q. 1. ar. 2. q. 1.

**A**d quartum sic proceditur. Videtur, quod occidere malefactores, liceat clericis. Clerici enim præcipue debent implere quod Apostolus dicit 1. ad Corint. 4. Imitatores mei estote. sicut & ego Christi. Per quod nobis indicatur, ut Deum & sanctos eius imitemur. Sed ipse Deus quem colimus, occidit malefactores, secundum illud Psalm. 135. Qui percussit Aegyptum cum primogenitis eorum. Moyses etiam à Leuitis fecit interfici viginti tria millia hominum, propter adorationem vituli: ut habetur Exod. 32. Et Phinees sacerdos interfecit Israelitem cum Madiantide coeuntem, ut habetur Num. 25. Samuel etiā interfecit Agag regem Amalec, & Elias sacerdotes Baal, & Matathias cum qui ad sacrificandum accesserat: & in novo Testamento, Petrus Ananiam, & Sapphiram. Ergo videtur, quod etiam clericis liceat occidere malefactores.

¶ 2 Præterea, Potestas spiritualis est maior, quam temporalis, & Deo coniunctior. Sed potestas temporalis licet malefactores occidit tanquam Dei minister, ut dicitur Rom. 13. Ergo multò magis clerici, qui sunt Dei ministri spiritualem potestatem habentes, licet possunt malefactores occidere.

¶ 3 Præterea, Quicumque licet suscepit aliquod officium, licet potest ea quæ ad officium illud pertinent, exercere. Sed officium principis terræ est malefactores occidere, ut dictum est. Ergo clerici qui sunt terrarum principes, licet possunt occidere malefactores.

§ ED contra est, quod dicitur prima ad Timot. 3.  
Op-

QVÆST. LXIV. ART. IV.

Oportet Episcopum sine crimine esse, non vinolentum, non percuissorem.

R E S P O N D E O dicendum, quod non licet clericis occidere, dupli ratione. Primo quidem, quia sunt electi ad altaris ministerium, in quo representatur passio Christi occisi: qui cum percuteretur, non repercutiebat, ut dicitur 1. Pet. 2. Et ideo non competit, ut clerici sint percussores, aut occisores. Debent enim ministri suum dominum imitari, secundum illud Eccl. 10. Secundum iudicem populi, sic & ministri eius. Alia ratio est, quia clericis committitur ministerium nouæ legis, in qua non determinatur pena occisionis, vel mutilationis corporalis. Et ideo ut sint idonei ministri noui testamenti, debent à talibus abstinere.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus uniuersaliter in omnibus operatur quæ recta sunt, in unoquoque tamen secundum eius congruentiam. Et ideo unusquisque deber Deum imitari in hoc, quod sibi specialiter congruit. Vnde licet Deus corporaliter etiam malefactores occidat, non tamen oportet quod omnes in hoc eum imitentur. Petrus autem non propria auctoritate vel manu Ananiam, & Sapphiram interfecit, sed magis diuinam sententiam de eorum morte promulgavit. Sacerdotes autem, vel Leuitæ veteris testamenti, erant ministri veteris legis, secundum quam penæ corporales infligebantur. Et ideo etiam eis occidere propria manu congruebat.

Ad secundum dicendum, quod ministerium clericorum est in melioribus ordinatum, quam sint corporales occisiones, scilicet in his quæ pertinent ad spiritualem salutem. Et ideo non congruit eis, quod minoribus se ingerant.

Ad tertium dicendum, quod prælati ecclesiastarum accipiunt officium principum terræ: non ut ipsi iudicium sanguinis exerceant per seipson, sed quod eorum auctoritate per alios exerceatur.